num existimavit, quem nemo unquàm penetrârit. Cui & Macrobius adstipulatur, *in Somnio Scipion. lib.* 2. *cap.* 5. *ad fin.*

6. Mentio quidem fit 1. Regum, *cap.* 9. *v.* 26. *&c.* ac etiam 2. Paralipom. *cap.* 8. *vers.* 17. *&c.* classis à Salomone & Hiramo, ad advehendum aurum ex אופירה (Ophira) emissæ: unde etiam multa auri talenta, resq; aliæ pretiosæ allatæ fuerunt. Hanc Ophiram eandem esse cum Americâ nostrâ, sunt qui adstruere nitantur. Ajunt, enim, locum ubi solverunt oram, portum esse rubri maris; indè per Æthiopicum Oceanum, ad Americam commodo cursu naves pervenire potuisse. Ajunt nomina non admodùm discrepare: Ophiram etenim eandem esse, quæ hodiè Peruana; præsertim cùm eadem Historia sacra, aurum illud ex Ophirâ præstantissimum, alibi aurum Peruanum vel ex Parvajm (פרוים) soleat indigitare. 2. *Paralip. cap.* 3. *vers.* 6. At verò classem illam Salomonis, haut occidentem versus, sed magis in Indiam Orientalem intendisse vela, probabile mihi est: quod & Josephus, *libr.* 8. *antiquit. cap.* 2. censere videtur. Et Ophira absque dubio sic adpellata fuit, ab Ophir (אופיר) filio Jektan, ex posteris Semi, cujus Genes. *cap.* 10. *vers.* 29. mentio fit: quique, Josepho teste, *lib.* 1. *antiq. cap.* 7. unà cum fratribus suis, sedem constituit in oriente, & à Cophene fluvio Indiæ, ad Assyriam usque habitavit. Inibi regionem Ophiram, auri ditissimam fuisse, ejusque aurum, puritatis nomine principem tenuisse locum, credibile est; & indè non Hebræis solùm, Ophira per translationem, quamcunque auriferam regionem designare; sed & aurum bonum, atque defecatum, corruptè obryzum, quasi ophirizum, indigitari cœpit. Salomo-

Schmidius de Atlant. f. 261. *Dn. D. Lansio*, in Consultat. de Provinciar. Europæ prærogativâ. Orat. pro Hispan. fol. 192. & Orat. contra Hisp. f. 333. Item aliâ Orat. pro Hispan. fol. 361.

Salmuth. suprà dict. loc. fol. 31. &c. *Acosta.* 1. c. 13. & seq. *Schindler.* in Lexic. pentaglott. fol. 112. *Becman.* in Orig. Lat. Ling. verb. Obrizum.